



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. Quid, & quotuplex Censura.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**




## EXAMEN PRIMVM.

Circa materiam de Censuris in communi.

### CAPV<sup>VS</sup> PRIMVM.

*Quid, & quotuplex Censura?*

1.  *Vid est Censura? Poena spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium, in ordine ad salutem.*

2. *Quotuplex est Censura? Triplex, Excommunicatio, suspensio, interdictum; irregularitas enim non est censura, cum incurri absque delicto possit.*

3. *Seu censura Excommunicationis sit, seu suspensionis, seu interdicti, species adhuc diuide. Multipliciter diuiditur. Alia enim est censura à iure, alia ab homine. Censura à iure dicitur illa, quæ fertur à legislatore cum intentione condendi legem, seu statutum generale perpetuum, iniuncta hac poena transgressoribus. Censura autem ab Homine est ea, quæ fertur à Superiore aliquid præcipiente intentione ferendi præceptum temporale, & transitorium sub poena censura. Rursus censura alia est lata sententia, quæ ipso facto incurritur absque iudicis sententia; alia est sententia ferenda, quæ tantum est comminatoria in futurum, nec ipso facto incurritur.*

4. *Quando nam dignosces censuram esse lata sententia? Quando in lege ponuntur hæ particula: Ipso facto, ipso iure; aut quando hæ adduntur aduerbia: Confestim, statim, illico; aut quando censura fertur per verbum præsentis temporis, aut imperantis modi. Quando verò fertur per verbum futuri, argumentum est, tantum ferendæ sententiæ esse censuram. Quid si dubium, num lata, num ferenda sententia sit? Iudicandum esse ferendæ; quia odia restringenda.*